

*Doc. 16 (Scriptum est magistro
forestarum et defensarum
Basilicate, Aprutii...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 16 (Scriptum est magistro
forestarum et defensarum
Basilicate, Aprutii...)*

1278-12

Scriptum est magistro forestarum et defensarum Basilicate, Aprutii, Terre Laboris, Principatus et Capitanate etc.

Cura subscriptos luparios de valle forano fideles nostros ad occidendum lupos et vulpes cum pulvere, pro meliori conservatione animalium silvestrium et etiam animalium araciarum et massariarum nostrarum et privatorum fidelium nostrorum, per subscriptas defensas pro uno mense computando ab octavo presentis mensis decembris in antea, ad rationem de augustali uno per mensem de camera nostra fecerimus exhibere, et velimus quod expense huiusmodi ad rationem predictam a tempore quo predictus mensis, pro quo expensas ipsas a nostra Camera receperunt, complebitur, eisdem lupariis in antea usque per totum mensem martii proximo venturum presentis septime Indictionis per te de proventibus defensarum et forestarum Curie nostre que sunt et erunt per manus tuas debeant exhiberi, fidelitati tue sub pena unciarum auri viginti firmiter et districte precipimus quatenus eisdem lupariis expensas ipsas ad predictam rationem de augustaii uno pro quolibet ipsorum per mensem a tempore quo predictus mensis, pro quo de expensis eorum soluti sunt, complebitur et in antea usque per totum predictum mensem martii pro illo videlicet tempore quo continue in servitio ipso erunt, super quo ipsam vigilantiam et curam habeas et per custodes defensarum ipsarum haberi facias, quod in hoc non possit nostra Curia defraudari, de proventu defensarum et forestarum curie nostre que sunt vel erunt per manus tuas exhibeas in illis forestis seu defensis, in quibus eos contigerit commorari, per nuncium tuum ad hoc per te specialiter transmittendum,

ita quod occasione expensarum ipsarum non oporteat eos dimittere custodiam forestarum predictarum. Sciturus pro certo quod si tu vel predictus nuncius tuus ab eisdem lupariis aliquod de expensis eorum subtraxeritis predictam penam viginti unciarum a te statim de tuo proprio exigi faciemus. Nomina vera ipsorum lupariorum et defensarum in quibus deputati sunt hec sunt videlicet Petrus Iohannis et Senebaldus in defensa lacus pensilis, Adenulfus et Alfredus" in foresta Sancti Gervasii et Spinacciole, Iohannes de Bartholomeo et Bartholomeus de Ademilfo in Galdo Neapolis Averse Capue et Silve ducente. Iohannes de Thomasio et Dominicus in defensis Schifati et Eboli, Iohannes Cummachinus et Leo de Esculo in defensis trium Sanctorum Salparum Cidiniolo et Vulcani, Rainaldus de Dominico et Thomas de Trasmundo in defensis Lucerie Sarracenorum Precine et Guardiolo.

Datum Baroli mense decembris VII Indictionis (1278).